

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XIV

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

CAPUT XIV.  
DE CORNO, CUPRESSO  
& CUCUMERIBUS.

**I**Dam Trojanum qui incolunt, sterilem esse inter  
*Cornos* matem pronunciant. Fructifera in Macce-  
donia ambæ; sed mas per æstatem, femina per autu-  
mnum baccas maturat. Hujus baccæ illius bonitate  
cedunt, ut vix mandi possint. Apes flore ipsius degu-  
stato, cito alvo moriuntur. *Cupressus* in Creta solum  
nascitur. Quocunque enim loco terra subigatur, nisi  
accedat satio, propria emergit sponte. In Ida monte  
non appellato solo, numerosa benigne profilit. *Plin.*  
*lib. 16. c. 33.* Locis aquosis consita, statim marcescit,  
& fimi occiditur appositu. Semen conis ejus tam ex ile  
innascitur, ut atomis comparari possit. Expeditur à  
formicis, ampliato etiam miraculo, tantuli animalis  
cibo, tantarum arborum absumi natalem. Viret per-  
petua coma; & materies ejus nec cariem senit, nec  
teredinem. *Rhodig. l. 2. c. 2. Plin. l. 16. c. 40.* Vejo-  
vis simulachrum ex hoc ligno in arce duravit ab anno  
conditæ urbis quingentesimo quinquagesimo primo,  
ad Rhodigini usque tempora. In Arcadia apud Pho-  
phidem, tantæ proceritatis fuerunt, ut proximum  
innumbrarent montem. *Dalechamp. ad loc. cit. Plinii.*  
*Cucumeres* mixtæ interdum magnitudinis, tanti in In-  
dia, ut ab uno ferri nequeant. Vidit *Scaliger* quinque  
sesquipedes longum. *Cucurbitam*, inquit idem *Exer.*  
*171. siccam habuimus, quam qui in ludo quodam Mi-*  
*mico gestaret, ingenti trunco premi videretur: æquavit*  
*palmas tredecim. Vivunt hausti in stomacho in posterum*  
*diem. Glutinoso enim & frigido referti succo. Plin. l. 19.*  
*cap. 5.* In tantum odere oleum, ut è vite pendentibus  
si vas olei subjiciatur, adeo refugiant, ut in hamum  
curventur. Tenerrimi crescent, si semen ante saturationem  
lacte maceratum fuerit.